

Quod quidem duplex est, alterum intrinsecum, extrinsecum alterum. Intrinsecum illud est, quod oritur ex ipsa rei natura, quatenus consensus ex parte contrahentium coniugium sic debeat liber esse, ut huic defectui nulla humana lex supplere possit, secus ac respectu caeterorum contractuum pluribus in casibus contingat. Extrinsecum vero illud censetur quod provenit ex iure divino positivo, quatenus Deus in ipsa coniugii institutione a mundi primordiis duas apposuerit condiciones contractui matrimonii, quae a nulla humana potestate pendeant, cuiusmodi sunt unitas et indissolubilitas, quas cum Deus ipse iure suo in veteri lege mitigaverit, Christus in nova ad pristinam sanctitatem revocavit (45). Quod quidem in reliquis contractibus sive naturalibus sive civilibus non evenit.

Quid plura? inter ipsos philosophos non defuere, qui analogiam inter matrimonium et civiles contractus iusta crisi perscringerent (46). Quod si ratio spectetur sacramenti, quae contractui inhaeret matrimonii christiani, iam per se patet, vinculum, quod ex ipso enascitur, nullo modo principibus sed Ecclesiae dumtaxat subesse, cuius potestatis generalem hactenus ideam exhibuimus, deinceps evolvendam.

(45) *Trattato del matrimonio* part. I. §. 1. opp. ed. Rom. tom. XV.

(46) Ipse Hegel carpsit notionem matrimonii a Kant exhibitam, et a recentioribus nonnullis, praesertim vero a Saur defensam, vi cuius matrimonium pure civilis contractus exponitur. Itaque Hegel Saurum perstringens in *Principiis philosophiae junioris* Berolini 1821. statuit: « Matrimonium non est contractus, quia 1. ad naturam contractus pertinet, ut ex libero arbitrio prodeat; » quia 2. id quod ex contractu prodit, volitum est *ex arbitrio contrahentium*, » ergo volitum quidem est *ex communi* contrahentium consensu, non vero » volitum *ex universali* quadam lege, non est effectus τὸν communis *idealis*, » logici; quia 3. obiectum contractus res externa esse debet, quae alterius » fieri potest. Essentialia matrimonii non possunt dependere ab arbitrio privato, sed in morali hominis natura posita sunt, ita ut coniuges, non tam vi » contractus, quam spirituali quadam unione, religione et pietate obligentur. » Ita quidem hic rationalista licet ex pravo fine, atque etiam perperam disserit; haec enim ratione plures alii contractus negari possent.

## CAPUT II.

De Ecclesiae potestatae constituendi impedimenta matrimonium  
Dirimentia.

## ARTICULUS I. — Historica controversiae totius expositio.

Si sibi cohaerentes christiani omnes esse vellent, nunquam dubium excitarent, Ecclesiae ne an vero principibus insit potestas constituendi impedimenta, quae fidelium connubium nullum ac irritum reddant. Semel ac enim firmatum est, contractum connubialem christianorum esse novae legis sacramentum, suapte natura consequitur ad Ecclesiam eamque solam, cui sacramentorum administratio divinitus commissa est, eam pertinere. Si praeterea sola Ecclesia ad laicorum principum exclusionem ius habet in *vinculum* coniugii christiani, utpote quod intrinsecum sit ipsi coniugio, atque a natura sacramenti dimanans; si denique principibus nulla alia convenit potestas in christianorum nuptiis quam directio earum extrinseca ad bonum societatis, primum est deducendo colligere, ipsos nullo modo attingere posse huius contractus substantiam, atque adeo impedimenta dirimentia constituere.

Attamen non defuerunt aliquot ab hinc seculis, nec hodie adhuc desunt, qui connisi fuerint et connitantur potestatem hanc instituendi impedimenta matrimonium dirimentia Ecclesiae eripere, eamque in principes transferre, aut saltem communem utrique ecclesiastico et politico regimini efficere.

Primo quidem novatores sec. XVI. Lutherus et Calvinus cum suis asseclis, negata huius sacramenti veritate, ius statuendi impedimenta irritantia coniugium cuicumque humanae potestati, nempe *ecclesiasticae* seu *pontificiae*, ut paulo post ostendemus, denegarunt, contenderuntque, non alia esse agnoscenda praeter illa, quae in Levitico cap. XVIII. constituta sunt,

ubi prohibentur connubia cum consanguineis et affinibus in primis propinquitatis gradibus (1).

At deinceps non pauci hic illicque surrexerunt, seu potius pullularunt, qui ad politicum regimen potestatem hanc constituendi impedimenta detulerunt. Marcus Antonius de Dominis inter caeteros eminet, nec non Ioannes Launoius, qui illius apostatae non modo sententiam adoptavit, sed ut plurimum argumenta etiam exscripsit (2). Censuit enim hic Lutheranus larvatus ius statuendi impedimenta, quae dirimant matrimonium, ita propria ac nativa potestate ad solos reges ac principes civiles pertinere, ut Ecclesia nequeat sine usurpatione, aut indulgentia et concessione principum illud exercere (3). Cum vero dissimulare non posset concilium Tridentinum sess. XXIV can. III, et IV. anathema in eos tulisse, qui dixerint: « Ecclesiam non posse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, » ipse eos negavit esse dogmaticos; tum novo plane ac antea inaudito paradoxo effutiit, Tridentinos Patres Ecclesiae

(1) Ita Lutherus in lib. *De captivitate Babylonica. De matrimonio*, ubi non aliam potestatem constituendi impedimenta praeter *divinam* admittit, cuius verba postea afferemus; item in *Serm. de matrim.* edito an. 1525. Calvinus, ut solet, nihil novi attulit, sed solum exornavit, quae Lutherus scripserat. Item Bucerus et Melancthon, qui Lutheri placita sequuntur. Cf. Bellarm. *De matrim.* cap. XXV.

(2) In op. *De Regia in matrimonium potestate* an. 1674. vulgato. Quam expilationem a Launoio factam ex op. M. A. De Dominis Lhullierius Dr. Sorbolicus, collato utriusque textu, in propatulo posuit.

(3) Sic enim scribit op. cit. art. 4. c. 5. Colon. Allobrog. 1754. opp. tom. I. pag. 749. seq. « Spiritualem potestatem ab seculari pendere quoad naturam » civilis contractus matrimonii, cui iam legitime facto divinitus accedit ratio » sacramenti, secularem potestatem a spiritali pendere quoad ministerium » sacramenti matrimonii, qua sacramentum est: hanc mutuam civilis et » spiritalis potestatis subordinationem doctam fuisse a Gelasio et Nicolao » pontificibus; impedimentum matrimonium dirimens ex se suoque genere » esse civile, non spirituale: seculares principes impedimenta matrimonium » dirimentia statuere posse, secluso sacerdotalis ordinis consensu, qui secularium principum legibus obediendi necessitatem addat, quasi leges illae ex » se non idoneam vim obligandi haberent; sacerdotalem ordinem, sacram pontificum auctoritatem non posse sine consensu principum impedimenta dirimentia statuere. »

nomine reges ac principes significasse, quorum dumtaxat nomine et auctoritate potest Ecclesia statuere impedimenta. Temerario huic auctori sese opposuerunt non pauci, iique doctissimi scriptores, inter quos eminuerunt Dominicus Galeusius, Rubensium episcopus (4), quem impugnare Launoius aggressus est (5); nec non Lhullierius, qui malam Launoii fidem in afferendis textibus foede depravatis apprime detexit (6).

Launoii vestigiis institerunt non pauci causidici, canonistae, atque theologi tum in Austria, tum in Gallis, in Belgio atque in Italia, rerum novarum cupidi atque animo in Ecclesiam hostili, regiminis politici assentatores, qui ut illi plus aequo faverent nihil moliti non sunt, ut politicae potestati soli assererent ius statuendi impedimenta matrimonium dirimentia. Hi quidem inauditam absurdamque canonis IV. Tridentini Launoianam interpretationem deseruerunt, rationem nihilominus invenerunt sese ab anathemate, ut ipsis videbatur, subducendi. Siquidem animadverterunt concilium in praefato canone minime declarasse utrum ex Christi institutione, an vero ex principum indulgentia Ecclesia asserta potestate polleat. Qua praemissa animadversione, toti in id incubuerunt, ut adstruerent Ecclesiam non proprio ac nativo iure, sed ex principum concessione potestatem hanc exercuisse anteactis seculis, atque ex eorundem conniventia adhuc dum exercere.

Itaque in imperio Austriaco hanc potestatem exclusive principibus iuxta nativum ac proprium ius inesse docuit Benedictus Oberhauser, iuris canonici professor, Ecclesiae vero non-

(4) In op. *Ecclesiastica in matrimonium potestas. Apologema pro vetustissima et catholica doctrina de iure Ecclesiae in sancendis legibus matrimonium impediens et dirimentibus*. Romae 1677. vol. un. in 4.

(5) In lib. iam cit. *Ioannis Launoii contentorum in libro Galeusii errorum index locupletissimus*. Paris. 1677. inter opp. Launoii ed. et loc. cit. pag. 885-1000.

(6) In *librum Magistri Launoii theologi Parisiensis, qui inscribitur: Regia in matrimonium potestas observationes, auctore theologo Parisiensi*. Paris. 1678. ac reperitur in collectione opp. Launoii ed. cit. tom. IV. part. II. pag. 149-501.

nisi ex beneficio iuris alieni (7). Hunc cum impugnavisset alter iuris canonici professor Ludovicus Beck atque haereseos insimulasset, Oberhauser duplici libello notam hanc a se amovere conatus est (8). In his libellis Oberhauser, separatione facta inter contractum matrimonialem et sacramentum, potestati civili ius tribuit in matrimonium, prout est contractus civilis, et ius Ecclesiae in matrimonium tribuit, prout est sacramentum; ex qua theoria intulit ad principes spectare impedimenta veri nominis seu dirimentia constituere, ad Ecclesiam vero ea, quae referuntur ad sacramenti sanctitatem, nempe impedientia. Ad hanc doctrinam porro evolvendam propugnandamque in subsidium hic auctor adscivit argumenta ipsa, quibus usus iam fuerat Launoius (9).

Huic pariter principio de distinctione inter contractum civilem praeivium atque ei superveniens sacramentum tanquam basi, matrimonialis legislatio Austriaca Iosephi II. innixa erat, qua ius omne in coniugium christianum principatui adscribebatur, ac propterea ius statuendi impedimenta dirimentia, itaque hac in re abrogabatur totum ius canonicum, neque Ecclesiae aliud concedebatur nisi celebratio sacramentalis (10).

Ex quo tempore nova haec atque eversiva legislatio data

(7) In op. Fuldae 1765. hoc de argumento edito.

(8) Prior inscriptus est: *Systema historico-criticum divisarum potestatum in legibus matrimonialibus impedimentorum dirimentium ex auitis principii sanae theologiae et iurisprudentiae canonicae*. Francofurti 1771. Posterior vero: *Apologia historico-critica divisarum potestatum* etc. Ibid.

(9) Cumque iterum Oberhauser exostulatus haereseos fuisset, ipse novum edidit libellum cui titulum fecit: *Causa decisa divisarum potestatum in legibus matrimonialibus*. Francof. et Lipsiae 1777. Iterum laccessitus a M. A. Hochstad in *Disquisitione canonica*. Moguntiae 1780. rursum se defendit in opusc. *Pagellae volantes de causa decisa pro studio iuris regii integri illustrando*. Francof. et Lips. 1782.

(10) De Moy, vir apprime catholicus, quemque merito August. Roskovany magni facit ac laudat in op. cui tit. germanice fecit: *De matrimonio et de statu, quem obtinet in Germanica ecclesiacatholica circa hoc disciplinae caput*. Landshut. 1850. legislationem matrimonialem Iosephi II. e natura rei et principii catholicismi critico examini subiecit.

fuit, nempe an. 1783. undique canonistae surrexerunt ad exclusivum politicae potestatis ius adstruendum in contractum civilem coniugii ipsius, ut loquebantur, impedimenta apponendi, causas matrimoniales iudicandi, dispensandi, aliaque id genus plurima peragendi. Quidam enim pene dixerim furor animos canonistarum et theologorum illius aetatis inceserat. Inter eos autem eminuerunt Le Plat in Belgio (11), et Petzek in Brisgovia (12).

Iosephinam de matrimonio legislationem adoptavit sanxitque pseudo-synodus Pistoriensis, dum in decreto, quod *fidei* inscribitur, titulo *De matrimonio* n. 7. constituit « Ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare, » contractui matrimonii adponere posse conditiones eius generis, quae ipsum nullum reddant, dicunturque impedimenta dirimentia: Ecclesiam contra, supposito solum assensu vel conniventia principum, impedimenta huiusmodi sancire potuisse: ius porro civitatis originarium constituendi impedimenta dirimentia cum iure dispensandi essentialiter connexum esse (13). » Hisce principiis cohaerens episcopus Ricci supplicem libellum dedit Leopoldo, magno Etruriae Duci, quo eum rogat, ut de numero impedimentorum cognitionem spiritualem et publicam honestatem, tollat, et cognitionem seu affinitatem ad secundum gradum coarctet.

Hac eadem aetate tum paulo ante tum paulo post Austria-

(11) De quo loquuntur Ephemerides Viennenses ecclesiasticae 1785. n. 44.

(12) In op. *De potestate Ecclesiae in statuendis matrimonii impedimentis*. Ubi affirmat statuitque « Ecclesiae ius solum regulas quasdam circum administrationem sacramenti matrimonii rogandi, seu sic dicta impedimenta impedientia constituendi competere; impedimenta vero dirimentia tantum a civili imperio poni posse, quippe cui unice insit auctoritas quoslibet contractus aut approbandi aut irritandi; idque ex tota antiquitate, quamdiu utraque potestas intra suos limites, ipsaque civilis maiestas illaesa et integra perstitit, clare patere. »

Alios plures per id temporis auctores id ipsum adstruentes cf. apud eruditissimum Roskovany op. cit. tom. 1. §. 11-12 seqq.

(13) Atti e Decreti del sinodo di Pistoia an. 1786. cf. etiam Potter *Vie de Scipion de Ricci, évêque de Pistoie et Prate*. Bruxelles 1825.

cam legislationem ac synodi Pistoriensis celebrationem insurrexerunt etiam ex Italia non pauci ad impugnandam Ecclesiae potestatem circa matrimonium. Quos inter non infimum locum tenet Aloisius Litta Mediolanensis (14), item Petrus Tamburini professor Ticinensis (15); quibus accessit Thomas Nestius Pistoriensis (16), qui ut praecedentes, Pauli Sarpri ac Launoii incredibili audacia principia tuetur.

Supremum vero attingit gradum antireligiosa de matrimonio doctrina in legislatione matrimoniali Gallicana postquam vix per publicam rerum omnium eversionem vel ipsa religio christiana in florentissimo illo regno e medio sublata non est, per novum codicem, qui tunc temporis editus fuit. In hoc enim codice lex promulgata est an. 1792., quae coniugium spectans ut mere civile contractum, sanctitatem omnem ab eo removet, nullam omnino de impedimentis canonicis rationem habuit, dissolutionem connubialis vinculi pluribus in casibus adstruxit (17). Deinde Napoleonis opera magna quidem ex parte reipublicae codex emendatus est, verumtamen et ipse omnem auctoritatem ecclesiasticam a matrimoniali legislatione penitus abstulit, magistratusque civiles huic negotio unice praefecit, nullamque rationem habuit de consensu coram parocho ac duobus testibus ex catholica doctrina praebendo ad legitimum celebrandum coniugium, adeoque pure civile, quod vocant, coniugium sanxit, quod etiamnum in Galliis, haud levi religionis detrimento, aut saltem vulnere, viget (18).

(14) In. op. *Del diritto di stabilire impedimenti dirimenti il matrimonio e di dispensare*. Cremona 1784.

(15) *Praelect. De iustitia christ. et sacram.* vol. II.

(16) *De dirimentibus impedimentis liber singularis*. Florentiae 1785.

(17) Staudlin in op. germ. *Historia opinionum et doctrinarum, quae de matrimonio prolatae sunt*. Gottingae 1826. praefat. pag. VIII. scribit: *Parisiis prioribus 27. mensibus post legem an. 1792. de matrimonio 5994. matrimonia dissoluta sunt.*

(18) In *emphemerid. germanic. Ecclesiae Darmstadtensis*. an. 1829. n. 17. circa legislationem de matrim. gallic. animadversum iure est: *«legislatio Gallicana matrimonium purum esse contractum civilem rata, civilem actum*

Haec eadem principia Launoiana et Pistoriensia in regio Taurinensi athenaeo adoptarunt ac propugnarunt passim iuris canonici professores, praecipue vero Bon (19), et ex eo Io. Nepomucenus Nuytz (20), qui agmen claudit. Easque doctrinas eo in regno invaluisse penes iuristas plures et canonistas, patet ex iis, quae in primo libro ex sententiis de matrimonio civili tum in conventu electivo Subalpino, tum in regio senatu prolatis attulimus.

Ex synoptica hac historica expositione pronum est colligere genesin et progressum novae huius doctrinae circa impedimenta. Ex ea enim constat, hanc nos in acceptis referre debere in primis Luthero et Calvino eorumque sectariis protestantibus, deinde vero apostatae insigni Marco Antonio de Dominis, postea eius pedissequo Ioanni Launoio, demum turbae iuristarum, canonistarum, ac theologorum iansenistarum aut regalistarum, inter quos recensuimus Pistorienses, qui omnes nihil aliud effecerunt, quam diversa ratione exponere, illustrare, atque explicare priorum argumenta; demum a rationalistis et atheis practicis atque pseudopoliticis ad perfectionem res perducta est separato omnino sacramento a con-

» praescribit. Benedictio ecclesiastica non est praescripta, neque ullo modo  
» ante actum civilem fieri debet. Res theoretice spectata, nil periculi habere  
» videtur, sed si practice spectetur negari non potest, dignitatem et sancti-  
» tatem matrimonii maximam fecisse iacturam. Matrimonium si nil est nisi  
» contractus civilis, institutum tantummodo erit ad explendam voluptatem  
» et ad procreandam prolem; nihilque habebit, quod animum efferre ad  
» altiora possit in ipso actu matrimonii ineundi.»

Ceterum historiam legislationis Napoleonicae uberius exposuit recensuitque Küstner, *De matrimonio, atque ratione, quae ei cum civitate et Ecclesia intercedit*. Lipsiae 1810. pag. 76 seqq.

Cl. Rosckovány op. cit. *De matrim. in Ecclesia cath.* tom. I. qui fuse exponit, quae nos in compendium redegimus, spectantia ad praesens argumentum historicum de origine ac progressu novae doctrinae circa impedimenta dirimentia.

(19) In thesibus editis ad an. 1768. ad an. 1797. cf. Avogadro *Teorica del matrimonio*. part. I. Torino 1855.

(20) *In ius ecclesiasticum universum tractationes*. Taurini 1849. *De matrimonio*.

tractu civili, ac omni sublata a coniugio etiam christiano sanctitate ac firmitate.

At misericors Deus iugiter praesto fuit Ecclesiae suae, exsuscitatis undique pro opportunitate strenuis viris, qui sese opposuerunt perniciosis his omnibus erroribus et machinationibus fortiter constanterque. Quod enim attinet ad Austriacam Iosephi II legislationem eidem restitit episcopatus et clerus prope universus sive in Austria sive in Belgio sive in Italia. Lucta siquidem inter utramque potestatem ex illa aetate perseveravit, dum ex una parte magistratus civiles urgerent legis executionem, ex altera vero parte episcopi et parochi, immo et religiosae, ut aiunt, conscientiae laici canonicas sanctiones opponerent. Ob frequentes, quae insurgebant, difficultates factum est, ut politicum regimen *dispensationum matrimonialium* systema quinquaginta annorum spatio pluries immutare coactum fuerit (21). Postremo demum piissimus Austriae imperator Franciscus Iosephus omnem hac de re difficultatem plane sustulit in conventionem facta cum apostolica Sede an. 1853, revocatumque fuit matrimonium ad canonicas sanctiones una cum causis omnibus ad illud spectantibus, sicque factum est ut Iosephina matrimonialis legislatio de medio penitus tolleretur (22). In Gallis pariter, non obstante legum condice sive

(21) Historiam dispensationum iuxta varias epochas texuit Thomas Dolliner in op. germ. *Compendium de legislatione matrimoniali Austriaca*. II. pars. Viennae 1814. pag. 42-54.

(22) Placet verba hic describere quae summus pontifex Pius IX. protulit in allocutione habita in consistorio secreto die 3. Novemb. 1853. quae huc spectant: « Iam vero, inquit, omnes ecclesiae causae, et illae praesertim, » quae fidem, sacramenta, et sacri ministerii iura respiciunt, atque ad Ecclesiae » forum unice spectant, ab ecclesiasticis iudicibus erunt cognoscendae; qui » ad sacrorum canonum normam et concilii Tridentini praescripta de matri- » monialibus etiam causis sententiam ferent, remissis tantum ad laicos iudices » iis rebus, quae dumtaxat matrimonii effectus attingunt. Atque ab » eadem ecclesiastica auctoritate iudicium quoque erit proferendum de spon- » salium existentia, deque effectibus ad matrimonium impediendum, iis ta- » men sedulo servatis, quae idem Tridentinum concilium, et apostolicae felices » recordationis Pii VI, decessoris nostri, litterae, quarum initium, *Auctorem » fidei*, provide sapienterque constituunt. »

reipublicae sive Napoleonico, agente clero universo, fideles coniugia sua contrahere consueverunt ad canonicarum sanctionum normam; et plures ex iis, qui secus se gessissent, defervescente primo aestu, a Rom. pontific. *sanationem*, quam vocant, illegitimum coniugiorum petere enixis precibus non abnuerunt.

Sic nec unquam defuerunt docti catholici scriptores, qui vindicias sumerent proculcatae undique ecclesiasticae potestatis. Etenim praeter eos, quos paulo ante commemoravimus, qui sese strenue opposuerunt Launoio, perstrinxit Petzeckium celebris in universitate catholica Argentinensi iuris canonici professor Franciscus Georgius Dieterich (23); Launoianis et professori Taurinensi Bon sese opposuit Petrus Deodatus, qui canones Tridentinos strenue defendit (24); sic adversus Neapolitanum Petrum Giannone, qui sectatus est Launoii theoriam et errores, praeclare scripsit P. Io. Ant. Bianchi Lucensis (25), atque aliis omissis, praecipuam laudem sibi comparavit in propugnanda catholica doctrina cl. card. Gerdilius tum in defensione constitutionis dogmaticae *Auctorem fidei*, tum praesertim in apposito tractatu de matrimonio, quo solide et docte, prout solet, omnes potestatis ecclesiasticae oses, initium sumens ab omnium ducibus M. A. de Dominis et Launoio, refutavit atque devicit (26). Novissime egregium ac eruditum opus de hoc ipso argumento vulgavit Augustinus de Roseko-

(23) In duplici diss. *De potestate Ecclesiae in statuendis matrimonii impedimentis*. Argentorati 1784.

(24) In op. *Defensio Tridentinorum canonum de Ecclesiae potestate in dirimentia matrimonium impedienda adversus Launoium, Tamburinium aliosque scriptores*. Hierapoli 1786. Tum in alio op. *Nuova difesa de' canoni III. e IV. della sess. XXIV. del concilio di Trento*. Nell' anno della salute 1788. Item *Epistola ad anonymum antecessorem Taurinensem* (Bon.), *qua illustrantur eius editae propositiones, de potestate Ecclesiae in matrimoniis*. Megalopoli an. 1789.

(25) Op. pariter cit.

(26) *Trattato del matrimonio, ossia confutazione de' sistemi contrarii all' autorità della chiesa circa il matrimonio*. Opp. ed. Rom. 1819. tom. XV.

vany, nunc episcopus in Hungaria, in quo adversarios ecclesiasticae potestatis exagitavit atque refellit (27). Impios vero seu rationalistas, seu sectarios et pseudo-politicos matrimonii civilis assertores aggressi sunt ell. Audisio (28), Rosmini Serbati (29), Iac Margotti (30), et Avogadro (31).

E censu eorum, qui impugnarunt ecclesiasticam potestatem secernere prorsus debemus catholicos illos auctores, qui eam quidem dirimentium impedimentorum sancientium potestatem ultro Ecclesiae tribuunt, eamque propriam, nativam ac originariam, attamen eandem pariter etiam circa coniugia christianorum communem faciunt secularibus principibus. Inter quos est Sanchez, qui statuit « posse principem secularem » *ex genere et natura suae potestatis* matrimonii impedimenta » dirimentia fidelibus sibi subditis, ex iusta causa suis legibus » indicare, eo pacto quo id Pontifex summus potest (32). » Limitat tamen immediate subdens: « nisi sibi (Pontifex) hanc » potestatem reservasset. » Atque hac ipsa de causa statuit « non esse integrum hodie principi seculari fidei disponere » aliquid circa matrimonia fidelium impedienda aut dissol- » venda (33). » Hanc ipsam sententiam pluribus evincere con- nissus est Gerbaesius, ac late extendere, dempta Sanchezii limitatione (34). Petrus Soto docuit posse quidem principes

(27) In saepe laud. opp. *De matrimonio in Ecclesia catholica* duob. vol. quorum primum prodiit Augustae Vindelic. alterum an. 1837. an. 1840. Qui praeterea bene meritus est de re catholica hac in parte ob tria volumina quae edidit de matrimoniis mixtis, et quatuor quae inscripsit: *Monumenta catholica*.

(28) In op. *Quistioni politiche- Il matrimonio e la ragion di stato. ecc.* Napoli 1854.

(29) *Delle leggi civili, che riguardano il matrimonio de' Christiani.* Torino 1851.

(30) *Proscso di Nepomuceno Nuytz.* Torino 1852.

(31) *Teorica del matrimonio* cuius prima pars edita est typis Taurinens. an. 1855 altera vero an. 1854.

(32) *De matrim.* lib. V. disp. 5. n. 2.

(33) *Ibid.* n. 4.

(34) In op. *Traité du Pouvoir de l'église et des princes sur les empêchemens du mariage.* Un vol. in 4. Paris 1696. ubi secunde part. ch. II. sta-

proprio iure statuere de impedimentis irritandis vel non; sed ex sua pietate et in Ecclesiam propensione ab usu et exercitio huius potestatis a multis iam seculis abstinuisse, ut iam nullum censeatur matrimonium christianum, quod Ecclesia tale non iudicat (35). Tournelyo haec Soti sententia valde arrisit, tenetque proinde et ipse, principes seculares posse impedimenta matrimonium irritantia ac dirimentia etiam relate ad christianos subditos constituere; ast temperat doctrinam suam adiiciens iam multis ab hinc seculis christianos principes aut nulla, aut saltem nonnisi approbante et concurrente Ecclesia, statuisse impedimenta sacramentum matrimonii dirimentia (36). Eidem sententiae adstipulatus est eius continuator Petrus Collet, qui plures alios recenset, qui eam adstruxerunt (37).

Demum caeteris praetermissis, D. Ioseph Carriere, theologiae professor in celebri seminario Sulpiciano Parisiensi, in tractatu de matrimonio quaestionem hanc de ecclesiastica, deque civili potestate constituendi impedimenta coniugium fidelium dirimentia copiose expendit. Constituta porro, ut decet theologum catholicum eumque pium, potestate quae Ecclesiae convenit, inquit utrum eadem potestas nativo ac originario iure seculari principatui pariter tribui debeat. Excussisque hinc inde rationum momentis theologorum exterorum, ut ipse loquitur, qui eam denegant, et gallorum, qui eam vindicant, denique veluti probabiliorem cum Baston posteriorem sententiam amplexus est; quia galli feliciter sese expediunt ab aucto-

tuit. Prop. I. « Le pouvoir de mettre des empêchemens au mariage subsiste » dans les princes chrétiens à l'égard de tous sujets tant baptisés. que non » baptisés Prop. II. - L'Église n'a pas dépouillé non plus les princes du pou- » voir qu'ils ont naturellement sur le mariage, en se le réservant à elle seule. » Prop. III. - L'Église n'a pas même interdit aux princes l'usage ou l'exercice » du pouvoir qu'ils ont naturellement sur les conditions du mariage. »

(35) *De institutione sacerdotum. Tr. de matrimonio.* Sectio IV. Dilinge 1558.

(36) *De sacram. matrim.* Quaest. VII. art. 2. conclus. I. et II.

(37) *Tract. de Matrim.* cap. VII. art. II. conclus. n. 66. refert pro hac ipsa opinione Petrum de Marca, Carol. Merinivillium, Carol. d'Argentrè, etc.

ritatibus, quibus potissimum innituntur theologi extranei, qui eam potestatem negant, quam isti theologica argumenta solvant, quibus pugnant theologi galli ad eam tuendam. Adeoque constituit non modo *theoretice* probabiliorem esse gallorum opinionem, qui docent posse principes impedimenta statuere, quae irritent ipsum naturalem contractum matrimonii etiam post eius evectionem ad sacramenti dignitatem auctoritate sibi innata ac propria; verum etiam *practice* hanc dicit esse tutiorem, sive quoad principes, sive quoad Ecclesiam, sive quoad societatem, sive quoad nubentes ipsos (38).

Ita quidem hic auctor annis elapsis in primis operis sui editionibus, nunc vero in quinta huiusce tractatus compendii editione, a sententiis, quas prius adstruxerat, recessit, doctrinamque suam doctrinae apostolicae Sedis ad amussim conformavit publice declarans se nil aliud sentire ac tenere velle, nisi quod ab hac veritatis magistra tenetur atque docetur (39). Quae quidem agendi ratio penes omnes bene sentientes eidem clarissimo auctori laudem non minimam comparavit, nosque ipsi ei ex animo gratulamur.

Opportunum duximus sub ipsum tractationis nostrae exordium totam huius controversiae historiam brevi proponere. Quamquam enim quaestiones multiplices, quas in historica

(38) Part. III. sect. II. cap. II. art. 2. ed. Paris 1837.

(39) Etenim in praefatione ad hanc quintam editionem an. 1837. Compendii tractatus de matrimonio refert varia rescripta prodiisse a Sede apostolica post prioris operis sui publicationem de hoc argumento, quae hinc Rom. pontificum mens declarata magis ac magis est; hinc praemissis S. Innocentii I. verbis ex epistola ad concilium Carthaginense, quod a sancta Sede Romana «velut de » natali suo fonte aquae cunctae procederent, et per diversas totius mundi » regiones puri latices capitis incorrupti manarent, » ita praclare subdit: « Nous avons pris soin de réformer nos opinions, dès que nous avons vu » qu'elles n'étaient pas assez conformes aux traditions du Siège apostolique. » Nous devons donc avertir le lecteur de modifier ce qui a été dit dans notre » grand cours, et dans les premières éditions de notre Abrégé, d'après ce » que nous consignons dans ce Compendium. Si nous avons encore laissé » échappé à notre attention que que point d'une doctrine moins approuvée, ou » moins conforme à la foi de l'Eglise, nous voulons qu'on le tienne pour nul. » v. *Univers* 25. Janv. 1837.

hac adumbratione attigimus, partim in hac prima libri sectione, partim in altera, prout ordo rerum ac idearum postulabit pertractandae sint, iuvat tamen generali quodam modo totius controversiae ambitum primo complecti, deinde suis locis singula persequi. Itaque primo canones Tridentini, qui huc pertinent, quique sunt veluti cardo quaestionis, expendendi sunt.

ARTICULUS II. — Potestas Ecclesiae constituendi impedimenta dirimentia *dogmatice* definita censeri debet in Concilio Tridentino Can. III. et IV. Sessionis XXIV.

Tridentini porro canones, de quibus agitur, ita se habent: III. « Si quis dixerit, eos tantum consanguineitatis et affinitatis » gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matri- » monium contrahendum, et dirimere contractum; nec posse » Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, » ut plures impediant et dirimant; anath. sit. » IV. « Si quis » dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta ma- » trimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; » anath. sit. » Hisce canonibus controversia omnis penitus sublata videbatur, saltem penes catholicos, qui in rebus fidei ac morum auctoritate Ecclesiae reguntur. At quas technas pervicaces homines excogitaverint, ut se ab ea subducerent, nuper diximus. Ut eas itaque ex ordine, distincte et per partes disiciamus, duo efficere hoc in articulo aggredimur: *primo* ostendemus, praefatos canones esse dogmaticos, non autem mere disciplinares; *secundo* veritatem dogmaticam in iis assertam vindicabamus. Prior pars est adversus Launoium, posterior adversus novatores sec. XVI.

Launoius itaque, ut adstruat canones, de quibus agimus, minime esse dogmaticos, adnititur ostendere, id colligi non posse ex anathemate, quo communiti sunt. « Porro, scribit, non ante » tollam manum de tabula, quam observaverim, eos falli gra- » viter, qui propter dictum anathema, Tridentinos canones non » ad disciplinam tantum, sed etiam ad fidem pertinere do- » cent: quasi vero canon in disciplinae causa editus anathe-